

gelis reprobis diminuta per eandem crucis virtutem restaurata est; unde Origen. super epistolam ad Roman. v ait: Tanta est vis crucis, et mortis Christi, quod ad sanitatem, et remedium, non solum praesens, et futuri, sed etiam praeteritorum saeculorum; et non solum humano huic nostro ordini, sed etiam coelestibus virtutibus sufficiat.

2543 Quarto etiam est in cruce profundum infernalis captivitatis; quia per virtutem eius Sancti Patres de limbo liberati, et glorificati sunt, sicut supra in fine quarti fructus patet. Tunc verus Sampson, moriens, victoriam de suis hostibus reportavit (Ironic. xvi). Tunc *habitans in regione umbrarum mortis* diu expectata claritas crucis effulsit, et in eius virtute per gloriam Christi animam visionem gloriae susceperunt. Nam, secundum Alexand. de Ales in 3, licet Sanctis illis per circumcissionem deleteret culpa originalis, et per charitatem culpa actualis, et quantum ad maculam, et quantum ad divinam offensam, necnon quantum ad reatum gehennae; non tamen quantum ad reatum carentiae visionis divinae, ratione cuius habebat diabolus potestatem detinuit eos in limbo, de quo misericorditer a Christo per meritum crucis suae liberati sunt, sicut Zach. ix ad Dominum dictum est: *In quoque in sanguine testamenti eduxisti victos de lacu, in quo non erat aqua*, scilicet, gloriae sempiternae; quia per passionem duo meruit Christus. Primo satisfactionem; secundo ianuam coelestis apertionem; ideo descendens ad inferos haec duo implevit. Nam primo crucis satisfactione soluta sunt vincula illa captivitatis inferni; secundo per ianuam coelestis apertionem facta est visio gloriae sempiternae, atque illustratio illius carceris, et secundum lucem exteriorem.

2544 Merito ergo de his quatuor dimensionibus crucis devotus Bernardus ad sanctissimam crucem ait: Quis misericordiae tuae, crux benedicta, queat digne investigare latitudinem, longitudinem, sublimitatem, et profunditatem? Nam latitudo tua replet orbem terrarum, longitudo tua usque ad diem novissimum subvenit universis invocantibus eam, sublimitas tua supernae civitatis invenit restaurationem, profundum tuum sedentibus in tenebris, et umbra mortis obtinuit redemptionem. Haec ille.

2545 Levenus itaque ergo corporis, atque mentis oculos ad triumphale vexillum crucis; nam secundum Origen. super epistolam ad Roman. iv, tanta est vis crucis, ut si ante oculos ponatur, et in mente fideliter habeatur, ita ut ipsam mortem Christi mentis oculus aspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare potest invidia; sed continuo ad eius praesentiam totus ille peccati, et carnis fugatur exercitus. Et iterum Cassiodorus super Psalmistam inquit: Crux est

humilium invitatio, superbiorum delectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, coelestium confirmatio, mors infidelium, vita Christianorum, iustorum martyrum resurrectio, Doctorum dux, conversorum via certa, claudorum baculus, pauperum consolatio. Et etiam Rabanus de laude crucis inquit: Tu, sancta crux, es peccatorum remissio, peccati exhibitio, meritorum augmentum, infernorum remedium, lapsorum refrigerium, sanorum incoluntias, quietorum serenitas, et fortanatorum foelicitas.

O summa dulcedo divinae bonitatis, et benignitatis! O immensa charitas divinae largitatis! O inquam stupenda prodigalitas summi Dei, et Domini nostri Iesu Christi! qui secundum Bernard. carnem suam dedit in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, vulnera in remedium, brachia in refrigerium, crucem in clypeum, cor in amoris iudicium, atque in balneum, sudorem in medicamentum, clavos in balsamentum, spineam coronam in ornamentum, verba in documentum, vitam et mortem, utramque in exemplum, scilicet, crucifigens perfectionis, ut in virtutum cruce, sic afflixerit nostrum, in sensu crucis delectetur, et impinguetur affectio, et delectatio nostra, in cruce exaltet spes, et expectatio nostra; ut totum cor, omne os, et totum opus illi amoroso Iesu cruciformiter conformetur, qui pro nostra redemptione ex sola sua stupenda charitate mori dignatus est; sed nunc triumphator mortis, cum Patre, et Spiritu sancto gloriosus super omnia vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

## DOMINICA IN PALMIS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.  
*Matth. XXI, 1-9.*

In illo tempore: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis, et venisset Bethplage ad montem Oliveti: tunc misit duos discipulos suos,

2. dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi:

3. et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem:

5. Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum, filium subiegalis.

6. Eunt autem discipuli fecerunt sicut praecipit illis Iesus.

7. Et adduxerunt asinam, et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cedebant ramos de arboribus, et sternerant in via:

9. turbae autem, quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.  
EXPOSIT. IN ECC. CAP. XXIV.

2547 **P**ULCHRE relictis Iudaeis, habitaturus in affectibus gentium, templum Dominus ascendit; hoc enim templum est verum, in quo non in littera, sed in spiritu Dominus adoratur: hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundavit. Deseruntur ergo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant.

2548 Et ideo ad montem venit Oliveti, ut novellas oleas in sublimi virtute plantaret, quorum mater est illa quae sursum est Ierusalem. In hoc monte est ille coelestis agricola, ut plantati omnes in Domo Dei, possint viritum dicere: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini* (PSAL. LI, 10). Et fortasse ipse mons Christus est. Quis enim alius tales fructus ferret olivarum, non curvalescentium ubertate baccarum, sed spiritus plenitudine gentium foecundarum? Ipse est per quem ascendimus, et ad quem ascendimus. Ipse est ianuam, ipse est via, qui aperitur, et qui aperit, qui pulsatur ab ingredientibus, et ab emeritis adoratur.

2549 Ergo in castello erat, et ligatus erat pullus cum asina: non poterat solvi, nisi iussu Domini: solvit cum manus apostolica: talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis, ut et tu possis ligatus solvere.

2550 Nunc consideremus qui fuerint illi, qui, errore detecto, de paradiso eieci, in castello sunt religati. Et vides quem admodum quos mors expulerat, vita revocaverit. Et ideo secundum Matthaeum et asinam et pullum legimus (MATTH.

XXI, 2); ut quia in duobus hominibus uterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus uterque revocetur. Ergo illic in asina matre quasi Evam figuravit erroris: hic autem in pullo generalitatem populi gentilis expressit; et ideo in pullo sedetur asinae.

2551 Et bene: *In quo nemo sedit*: quia nullus antequam Christus nationum populos vocavit ad Ecclesiam. Denique secundum Marcum sic habes: *Quem nemo adhuc sedit hominum* (MARC. XI, 2). Alligatus autem perfidiae vinculis tenebatur, iniquo addictus domino, errore famulatus: sed dominatum sibi vindicare non poterat, quem reum fecerat non natura, sed culpa. Et ideo cum Dominus dicitur, unus agnoscitur; nam et multi dii, et multi domini, sed generaliter: nobis tamen unus Deus, et unus Dominus. Itaque etsi non exprimitur, Dominus definitur non iam per adiunctionem personae, sed per universitatem naturae.

2552 Marcus autem induxit ligatum ante ianuam (MARC. XI, 4); quia extra Christum quicumque est, foris est in via: qui autem in Christo est, foris non est. *In transitu*, addidit, ubi nullius certa possessio, non praesepe, non alimenta, non stabulum. Misera servitus cui vagum ius est; plures enim dominos habet, qui unum non habet. Alieni alligant, ut possideant: iste solvit, ut teneat; vehementiora enim dona novit esse, quam vincula.

2553 Nec illud otiosum quod duo discipuli diriguntur, Petrus ad Cornelium (ACT. X, 23), Paulus ad reliquos (ACT. XII, 3). Et ideo non personas designavit, sed numerum definit; tamen si quis est qui personas exigit, potest aestimare de Philippo quem Spiritus misit in Gazam (ACT. VIII, 26), quando Candacis reginae baptizavit eunuchum, et ab Azoto

in Caesarem per omnes civitates verbum Domini seminavit. Nec illud praeterendum quod mox remittendos asserit; quia dirigendi erant qui Dominum Iesum in finibus gentium praedicarent.

2554 Illi ergo directi cum solverent pululum, numquid suis verbis usi sunt? Minime: sed dixerunt sicut dixerat illis Iesus; ut agnoscas quod non suo sermone, sed Dei verbo; nec proprio, sed Christi nomine fidem populis infundere gentilibus, atque adversariae potestates quae sibi nationum obsequia vindicabant, mandato cessere divino.

2555 Unde et apostoli propria Christo vestimenta substernunt, sive quo facti gloriam evangelicae praedicatione praerferrent, in Scripturis enim divinis plerumque vestimenta virtutes sunt, quae gentium duritiam in aliquantum propria quoque virtute mollirent; ut inoffensa vecturae felices obsequia sedulis affectibus exhiberent. Non enim mundi Dominum forrensi specie gestari dorso asinae delectavit: sed ut latente mysterio penetralia nostrae mentis insterneret, et in secretis animorum interiore consensu mysticus vector insideret, quasi quodam corpore divinitatis infusus, regens mentis vestigia, lascivias carnis infrenans; ut ductu pietatis assuetum populi gentilis edomaret affectum. Felices illos, qui talem internis renibus recipere vectorem! Felices plane illos, quorum ora ne multiloquio solverentur, verbi coelestis habena restrinxit!

2556 Quae est ista habena, fratres? Quis me doceat quemadmodum ora hominum aut restringat aut solvat? Monstravit mihi habenam ille qui dixit: *Ut detur mihi sermo in apertionem oris mei* (EPHES. VI, 19). Sermo ergo habena est, sermo stimulus est; et ideo durum est tibi adversus stimulum calcitrare (ACT. IX, 5). Docuit igitur hic nos aperire cor, sti-

mulum perpeti, iugum ducere. Doceat et alius linguae retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus est, quam loquendi. Doceat plane ille, qui velut mutus adversus dolum non aperuit os suum (PSAL. XXXVII, 14), paratus in flagella, et verbera non recusans, ut esset pia sessio Deo.

2557 Disce a domestico Dei gestare Christum, quoniam prius te ille gestabat, cum pastor errantem reduceret ovem (LUC. XV, 6); disce sedula mentis tuae dorsa substernere; disce esse sub Christo, ut possis esse supra mundum. Non quicumque facile vehit Christum, sed ille qui potest dicere: *Incurvatus et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemilu cordis mei* (PSAL. XXXVII, 9). Quod si desideras non moveri, super illa vestimenta sanctorum elutum fige vestigium. Cave enim ne lutulentis pedibus incedas, cave ne transversis gressibus, perstrata tibi prophetarum viarum itinera derelinquas; namque ut tutior venturis gentibus esset incessus, propriis indumentis usque ad Dei templum qui praebant Iesum, semitam munierant. Ut tu sine offensione gradiaris, discipuli Domini amictu se proprii corporis exuentes, inter adversa barbarum viam tibi suo stravere martyrio. Si quis tamen ita vult accipere, non renititur, quod pullus iste iam supra Iudaeorum vestimenta graderetur.

2558 Quid autem sibi velint ramorum fragmina (MATH. XXI, 8), quae utique incedentium gressus implicare consueverunt; dubitare profecto, nisi me in superioribus bonus mundi totius docuisset agricola, quia iam securis ad radices arborum posita est, quae sub adventu Domini Salutaris infocunda succidat, et infructuosarum inanem gloriam gentium solo sternat, fidelium pedibus proterendam: ut renovatae mentis spiritu natio-

nes, velut novellarum arborum stirpes, de vetustis possint germinare caudicibus.

2559 Ne ergo despicias hunc asellum; nam sicut in vestitu otium sunt lupi rapaces, ita contra inest homo cordis absconditus sub specie bestiali; quia sub exuviis corporis, quod nobis est commune cum belluis, mens Deo plena vegetatur. Quod ad figuram hominum pertinere sanctus Ioannes evidentius declaravit (IOANN. XII, 13), addendo quia acceperunt sibi medullas palmarum; iustus enim ut palma floret. Et ideo adventante Christo, erigebantur iam supra humeros hominum vexilla iustitiae, et insignia triumphorum. Quid miratur turba quod operatur mysterium? Etsi nesciat quid miretur, miratur tamen quia in illo pullo sapientia sedet, virtus manet, inhaeret iustitia.

2560 Ne despicias quoque asinam istam, quae quondam angelum Dei vidit (NUM. XXII, 25), quem homo videre non potuit. Et vidit, et detulit, et locuta est: ut agnosceres posterioribus temporibus sub adventu magni angeli Dei gentiles illos, ante asinos, locuturos.

2561 Pulchre autem secundum Lucam turbas laudantes Deum ad descensum montis occurrisse legimus; ut operatorem mysterii spiritualis significarent sibi venisse de coelo. Turba igitur agnoscit Deum, regem appellat, prophetiam repetit: *Hosanna filio David* (PSAL. CXVII, 24), hoc est, redemptorem domus David expectatum quoque secundum carnem David filium venisse declarat: et hoc turba illa post exiguum crucifixura momentum. Vere memorabile divinae operationis insigne, ut adversum se testimonium extorqueatur invitis, cum Deum negant affectibus, quem vocibus confitentur. Unde et Dominicum illud:

2562 *Si hi tacerint, lapides clamabunt.* Neque enim mirum si laudes Domini

contra naturam suam saxa respondeant, quem scopulis duriores praedicant peremptores. Aut fortasse quia obmutescentibus Iudaeis post Domini passionem, vivi erant secundum Petrum (I PETR. II, 5), lapides clamaturi. Ergo compugnantibus licet affectibus suis, turba tamen Deum ad templum suum cum laude deducit.

— 33 —  
PASSIO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI  
SECUNDUM MATHIAEUM.  
Math. XXVI, XXVII.

Nota. Cum textus passionis iuxta quatuor Evangelistas in omnibus libris qui Officium Maioris Hebdomadae continent habeatur, abstinemus a transcriptione eiusdem textus.

Expositio S. Hieronymi Presbyteri.  
COMMENT. IN EVANG. MATH. CAP. XXVI, XXVII.

**F**actum est, cum consummasset 2563 Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: *Scitis quia post biduum Pascha fiet: et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Erubescant qui putant Salvatorem timuisse mortem, et passionis pavore dixisse: *Pater, si fieri potest, transcat a me calix iste* (LUC. XXII, 42). Post biduum Pascha facturus, tradendum se ut crucifigatur novit, et tamen non declinat insidias, non territus fugit: intantum ut etiam, ceteris ire nolentibus, pergat intrepidus, quando dicit Thomas: *Eamus et nos, et moriamur cum eo* (IOANN. XI, 16). Et finem carnali festivitati volens imponere, umbraeque transeunte, paschae reddere veritatem, dixerit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar* (LUC. XXII, 15). Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, si tamen comedamus illud in azymis sinceritatis et veritatis (I COR. V, 7, 8). Porro quod ait: *Post biduum Pascha fiet*, simplici intelligentia praetermissa, id quod sacramentum est, re-



ante pro lucro reputabat, quasi purgamenta quisquillasque contempserit, ut dignum Domino hospitium praepararet.

2576 *Vespere autem facto, discumbat cum duodecim discipulis suis.* Omnia sic agit Iudas, ut tollatur suspicio proditoris.

2577 *Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis: quia unum vestrum me traditurus est.* Qui de passione praedixerat, et de proditore praedicat, dans locum poenitentiae, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas et occulta consilia, poeniteret eum facti sui: et tamen non designat specialiter, ne manifeste coargutus, impudenter fieret. Mititit crimen in numero, ut conscius agat poenitentiam.

2578 *Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* Et certe noverant undecim apostoli, quod nihil tale contra Dominum cogitarent: sed plus credunt magistro, quam sibi: pertimescentes fragilitatem suam, tristes interrogant de peccato, cuius conscientiam non habebant.

2579 *At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* O mira Domini patientia! Primum dixerat: *Unus vestrum me traditurus est.* Perseverat proditor in malo, manifestus arguit, et tamen nomen proprie non designat. Iudas ceteris contristatis, et retrahentibus manum, et interdicientibus cibos ori sup, temeritate et impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur.

2580 *Vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Nec primo, nec secundo correptus a prodicione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et thesaurizat sibi iram in die irae (ROM. II, 5). Poena praedicatur, ut quem pudor non vicerat, corrigat denuntiata supplicia. Quod autem sequitur:

*Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Non ideo putandum est ante fuisse quam nasceretur, quia nulli possit bene esse, nisi ei qui fuerit: sed simpliciter dictum est, multo melius esse, non subsistere, quam male subsistere.

2582 *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit.* Quia ceteri tristes, et valde tristes interrogaverant: *Numquid ego sum, Domine?* ne taedendo se prodere videretur, et ipse similiter interrogat, quem conscientia remordebatur, qui manum audacter miserat in paropside.

2583 *Numquid ego sum, rabbi? Ait illi: Tu dixisti.* Et blandientis iungit affectum, si ve incredulitatis signum. Ceteri enim qui non erant prodituri, dicunt: *Numquid ego sum, Domine?* Iste qui proditurus erat, non Dominum, sed magistrum vocat quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem magistrum prodiderit. *Et ait illi: Tu dixisti.* Eadem responsione confutatus est proditor, qua Pilato postea responsurus est.

2584 *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem; et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Postquam typicum Paschae fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschae transgreditur sacramentum, ut quo modo in praefiguratione eius Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat (GEN. XIV, 13), ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repraesentaret. In Luca legimus duos calices quibus discipulis propinavit (LUC. XXII, 17, 20). Unum primi mensis, et alterum secundi, ut qui inter sanctos primo mense agnum come-

dere non poterit, secundo inter poenitentes hoedum comedat.

2585 *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* De carnalibus transit ad spiritalia, quod vinea de Aegypto transplantata sit populus Israel (PSAL. LXXIX, 9), cui per Ieremiam Dominus loquitur: *Ego te plantavi vineam veram, quomodo mutata es in amaritudinem vitis alienae?* (IEREM. II, 21). Et Isaias propheta in cantico quod dilecto canit (Is. V, 1-7), et omnis sparsim Scriptura testatur. Dicit ergo se Dominus de hac vinea nequam esse hibiturum, nisi in regno Patris sui. Regnum Patris, fidem puto esse credentium. Apostolo quoque idipsum confirmante: *Regnum Dei intra vos est* (LUC. XVII, 21). Ergo cum Iudaei receperint regnum Patris (attende quod dicat, Patris, non Dei, omnis Pater nomen est Filii); cum inquam, crediderint in Deum Patrem, et adduxerit eos Pater ad Filium, tunc de vino eorum bibet Dominus et in similitudinem Ioseph regnans in Aegypto, inebriabitur cum fratribus suis (GEN. XLIII, 34).

2586 *El hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Hoc est quod in quodam psalmo legimus: *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae* (PSAL. XXI, 30). Luxta hoc exemplum, qui Salvatoris pane saturatus, et calice inebriatus fuerit, potest laudare Dominum et consendere in montem Oliveti, ubi laborum refectio, dolorisque solatium, et veri luminis notitia est.

2587 *Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Praedicat quod passuri sunt, ut, cum passivi fuerint, non desperent salutem, sed agentes poenitentiam, liberentur. Et signanter addidit, *in ista nocte scandalum patiemini;* quia quomodo qui inebriantur,

nocte inebriantur (I THESS. V, 7): sic et qui scandalum patiuntur, in nocte et in tenebris sustinent. Nos vero dicamus: *Nox praeterit, dies autem appropinquavit* (ROM. XIII, 12).

2588 *Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. Hoc aliis verbis in Zacharia propheta scriptum est; et (ni fallor) ex persona Prophetae ad Deum dicitur: *Percute pastorem, et dispergentur oves gregis* (ZACH. XIII, 7). Sexagesimo quoque et octavo psalmo, qui totus a Domino canitur, huic sensui congruente: *Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt* (PSAL. LXVIII, 27). Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis: et de multis gregibus errorum fiat unus grex, et unus pastor (IOANN. X, 16). De hoc testimonio in libello, quem de *Optimo genere interpretandi* scripsimus, plenius dictum est.

2589 *Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Non est temeritas, nec mendacium; sed fides est apostoli Petri, et ardens affectus erga Dominum Salvatorem, de quo supra diximus.

2590 *Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et Petrus de ardore fidei promittebat, et Salvator quasi Deus futura noverat. Et nota quod Petrus in nocte neget, et neget tertio. Postquam autem gallus cecinit, et decreverint tenebris vicina lux nuntiata est, conversus flevit amare, negationis sordes poenitentiae lacrymis lavans.

2591 *Tunc venit Iesus cum illis in villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc et orem.* Gethsemani interpretatur, *vallis pinguis*, in qua iussit discipulos sedere paulisper et expectare redeun-

tem, donec pro cunctis solus Dominus oraret.

<sup>2592</sup> *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei coepit contristari et moestus esse.* Illud quod supra diximus de passione et propensione, etiam in praesenti capitulo ostenditur, quod Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus sit, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propensionem coeperit contristari. Aliud est enim contristari, et aliud incipere contristari. Contristabatur autem non timore patendi, qui ad hoc venerat ut pateretur et Petrum timiditatis arguerat; sed propter infelicissimum Iudam, et scandalum omnium apostolorum, et reiectionem populi Iudaeorum, et eversionem miserae Ierusalem. Unde et Ionas super ariditate cucurbitae vel hederæ contristatus est (IONAS IV, 8), nolens perire quondam tabernaculum suum. Si autem tristitiam animi, non affectum Salvatoris erga perituros, sed passionem haeretici interpretantur, respondeant, quomodo exponunt illud quod ex persona Dei per Ezechielem dicitur: *Et in omnibus istis contristatus me* (EZECH. XVI, 43, sec. LXX).

<sup>2593</sup> *Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: Sustinete hic, et vigilate mecum.* Quae contristatur, anima est, et non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur, donec apostolos sua liberet passione. Quod autem praecepit: *Sustinete hic, et vigilate mecum*, non a somno prohibet, cuius tempus non erat imminente discrimine; sed a somno infidelitatis, et torpore mentis. Dicant ergo qui irrationabilem Iesum sumpsisse animam suspicantur, quomodo contristetur et noverit tempus tristitiae. Quamquam enim et bruta animalia moereant, tamen non noverunt nec causas, nec tempus usque ad quod debeant contristari.

<sup>2594</sup> *Et progressus pusillum, procidit in fa-*

*ciem suam, orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Dato apostolis praecepto, ut sustinerent, vigilarentque cum Domino, paululum procedens ruit in faciem suam, et humilitatem mentis habitu carnis ostendit, dicitque blandiens: *Mi Pater*, et postulat ut, si possibile est, transeat ab eo passionis calix, de quo supra diximus. Postulat autem non timore patendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde et signanter non dixit, *transeat a me calix*, sed *calix iste*, hoc est, populi Iudaeorum, qui excusationem ignorantiae habere non potest, si me occiderit, habens legem et prophetas, qui me quotidie vaticinantur. Attamen revertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei Filiique confirmat. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Non, inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor; sed propter quod ad terras tua voluntate descendi.

*Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Ille qui supra dixerat: Etiam si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor, nunc tristitiae magnitudine somnum vincere non potest.*

<sup>2595</sup> *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Impossibile est humanam animam non tentari. Unde et in Oratione Dominica dicimus: *Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possumus* (MATTH. VI, 13; LUC. XI, 4). Non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Ergo et in praesentiarum non ait: *Vigilate et orate, ne tentemini*; sed, *ne intretis in tentationem*, hoc est, ne tentatio vos superet et vincat, et vos intra casses suos teneat. Verbi gratia: Martyr, qui pro

confessione Domini sanguinem fundit, tentatus quidem est; sed tentationum rebus non ligatur. Qui autem negat, in plagas tentationis incurrit. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Hoc adversum temerarios, qui quidquid crediderint, putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus. Sed tamen iuxta Apostolum, in spiritu carnis opera mortificantur (ROM. VII, 13).

<sup>2597</sup> *Iterum secundo abiit et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Secundo orat, ut si Ninive aliter salvari non potest, nisi aruerit cucurbita, fiat voluntas Patris, quae non est contraria Filii voluntati, dicente ipso per prophetam: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui* (PSAL. XXXIX, 9).

<sup>2598</sup> *Et venit iterum, et invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati. Et relicti illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens.* Solus orat pro omnibus, sicut et solus patitur pro universis. Languescebant autem et opprimebantur apostolorum oculi negatione vicina.

<sup>2599</sup> *Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite iam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Postquam tertio oraverat, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum (MATTH. XVIII, 16; II COR. XIII, 1), et apostolorum timorem sequenti poenitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, et ultro se interficiendum praebet, dicitque discipulis suis:

<sup>2600</sup> *Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi.*

Ne nos inveniant quasi timentes et retrahentes, ultro pergamus ad mortem, ut confidentiam et gaudium passuri videant.

*Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum.* Miser Iudas, et tamen non miserabilis, eadem infidelitate, qua magistrum et Dominum tradidit, putabat signa, quae Salvatorem viderat facientem, non maiestate divina, sed magis artibus facta. Et quia cum forte audierat in monte transfiguratum (MATTH. XVII, 3), timebat ne simili transformatione elaberetur e manibus ministrorum. Dat ergo signum, ut sciant ipsum esse quem osculo demonstraret.

*Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.* Impudens quidem et scelerata confidentia, magistrum vocare, et osculum eiingere, quem tradebat. Tamen adhuc aliquid habet de verecundia discipuli, cum non eum palam tradit persecutoribus, sed per signum osculi. Hoc est signum, quod posuit Deus in Cain, ne quicumque invenisset, interficeret eum (GEN. IV, 15).

*Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt et manus iniecerunt in Iesum, et tenuerunt eum.* Verbum *Amice*, *αγαπητος* intelligendum, vel certe iuxta illud quod supra legimus: *Amice, quomodo hic intrasti, non habens vestem nuptialem?* (MATTH. XXII, 12).

*Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum et percussit servum principis sacerdotum, amputavit auriculam eius.* In alio Evangelista scriptum est, quod Petrus hoc fecerit, eodem mentis ardore quo cetera (LUC. XXII, 49). Servus quoque principis sacerdotum *Malchus* appellatur; auricula quae amputatur, dextera est. Transitorie dicendum, quod *Malchus*, id est, rex quondam populus Iudaeorum, ser-

vus factus sit impietatis et devoracionis sacerdotum. Dexteramque perdidit auriculam, ut totam litterae vilitatem audiat in sinistra: sed Dominus in his, qui ex Iudaicis credere voluerunt, reddidit aurem dexteram, et fecit servum genus regale et sacerdotale.

2605 *Tunc ait illi Iesus: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et si non frustra portat gladium, qui ultor Dominicae irae positus est in eum, qui malum operatur (ROM. XIII, 4): attamen quicumque gladium sumpserit, gladio peribit (GEN. IX, 6). Quo gladio? illo nempe qui igneus vertitur ante paradysum (GEN. III); et gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura (EPHES. VI, 17).*

2606 *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae: quia sic oportet fieri? Non indigeo duodecim apostolorum auxilio, etiamsi omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus. Una legio apud veteres sex millibus complebatur hominum. Pro brevitate temporis numerum non occurrimus explicare, typos tantum dixisse sufficiat: septuaginta duo millia angelorum, in quot gentes hominum lingua divisa est, duodecim legionibus fieri. Sequens sententia promptum ad patiendum demonstrat animum, quod frustra prophetae cecinerint, nisi Dominus eos vere dixisse, passione sua asseruerit.*

2607 *In illa hora dixit Iesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam, docens in templo, et non me tenuistis. Stultum est, inquit, eum cum gladiis et fustibus quaerere, qui ultro se tradat vestris manibus, et in nocte quasi latitantem, et a vestris oculis de-*

clinantem per proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat. Sed ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est.

2608 *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturae prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Quae sunt Scripturae prophetarum? Foderunt manus meas et pedes meos (PSAL. XXI, 17); et alibi: Sicut ovis ad victimam ductus est (IS. LIII, 7). Et in alio loco: Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem (Ibid. sec. LXX).*

2609 *At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribae et seniores convenerant. Moyses, Deo iubente, praeceperat, ut pontifices patribus succederent, et generationis in sacerdotibus series texeretur (EXOD. XXXIX, 28, 44). Refert Iosephus istum Caipham unius tantum anni pontificatum ab Herode pretio redemisse. Non ergo mirum est, si nequam pontifex inique iudicet.*

2610 *Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum. A longe sequebatur, qui Dominum erat negaturus.*

2611 *Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Principes autem sacerdotum et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Vel amore discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat, quid iudicaret de Domino pontifex: utrum eum neci addiceret, an flagellis caesum dimitteret. Et in hoc diversitas decem apostolorum et Petri. Illi fugiunt, iste, quamquam procul, sequitur tamen Salvatorem.*

2612 *Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud. Quomodo falsi testes sunt, si ea dicunt, quae Dominum supra di-*

xisse legimus? sed falsus testis est, qui non in eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui (IOANS. II, 21). Sed et in ipsis verbis calumniatur, et paucis additis vel mutatis, quasi iustam calumniam faciunt. Salvator dixerat: Solvite templum hoc (Ibid. 19); isti commutant et aiunt: Possum destruere templum Dei. Vos, inquit, solvite, non ego; quia illucitum est, ut ipsi nobis inferamus manus. Deinde illi vertunt: et post triduum reaedificare illud: ut proprie de templo Iudaico dixisse videatur. Dominus autem, ut ostenderet animale et spirans templum, dixerat: Et ego in triduo suscitabo illud (Ibid.). Aliud est aedificare, aliud suscitare.

2613 *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur? Iesus autem tacebat. Ira praecipit et impatiens non inveniens calumniae locum, excutit de solio pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret. Quanto Iesus tacebat ad indignos responsione sua, falsos testes et sacerdotes impios, tanto magis pontifex furore superatus, eum ad respondendum provocat: ut ex qualibet occasione sermonis locum inveniat accusandi. Nihilominus Iesus tacebat. Sciebat enim, quasi Deus, quidquid responderet torquendum ad calumniam.*

2614 *Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei? Quid adiuras, impiissime sacerdotum, ut accuses, an ut credas? Si ut accuses, arguunt alii: condemnate tacentem. Si ut credas, quare confidenti credere noluit?*

2615 *Dixit illi Iesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem a dexteris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli. Et adversum Pilatum, et adversum Caipham si-*

milis responsio, ut propria sententia condemnentur.

2616 *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blaphemavit. Quid adhuc egenus testibus? Ecce nunc audistis blaphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis. Quem de solio sacerdotali furor excuserat, eadem rabies ad scindenda vestes provocat. Scidit autem vestimenta sua, ut ostendat Iudaeos sacerdoti gloriam perdidisse, et vacuum sedem habere pontifices. Sed et consuetudinis Iudaicae est, cum aliquid blasphemiae et quasi contra Deum audierint, scindere vestimenta sua. Quod Paulum quoque et Barnabam, quando in Lycaonia deorum cultu honorabantur, fecisse legimus (ACT. XIV, 10, 14). Herodes autem, quia non dedit honorem Deo, sed acquievit immoderato favori populi, statim ab angelo percussus est (ACT. XII, 21, 23).*

2617 *Tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt. Ut adimpleretur quod dictum est: Dedi maxillas meas alapis et faciem meam non averti a confusione sputorum (THREN. III, 30).*

2618 *Alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicens: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? Stultum erat verberantibus respondere, et prophetizare caedentem, cum palam percipientis videretur insania. Sed sicut hoc vobis non propheta vit, sic illud manifestissime vaticinatus est, quod circumdaretur Ierusalem ab exercitu, et non relinquere lapis super lapidem in templo (LUC. XIX, 43, 44).*

2619 *Petrus vero sedebat foris in atrio. Foris sedebat, ut videret exitum rei. Et non appropinquabat Iesu, ne ministris aliqua suspicio nasceretur.*

2620 *Et iterum negavit cum iuramento, quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro.*

Scio quosdam pii affectus erga apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum, non Deum negasse, sed hominem, et esse sensum: Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit; sic defendunt apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: *Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Cerne quid dicat, *me negabis*, non hominem.

2621 *Vere et tu ex illis es: nam et loquela tua te manifestum facit.* Non quod alterius sermonis esset Petrus, aut gentis exteriorae. Omnes quippe Hebraei erant, qui arguebant, et qui arguebatur; sed quod unaquaque provincia et regio habeat proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum vitare non possit. Unde et Ephraemi in Iudicum libro (cap. xii, vers. 6) non possunt *עבריים* dicere.

2622 *Tunc coepit delectari et iurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* In alio Evangelio legimus: quia post negationem Petri, et cantum galli, respexerit Salvator Petrum, et intuitu suo eum ad amaras lacrymas provocavit (LUC. xxii, 69, 72). Nec fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi.

2623 *Et egressus foras, flevit amare.* In atrio Caiphae sedens, non poterat agere poenitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, ut pavidae negationis sordes amarum fletibus lavet.

2624 *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Iesum, ut eum morti traderent. Et vincum adduxerunt, et tradiderunt eum Pontio Pilato praesidi.* Non solum ad Pilatum, sed etiam ad Herodem ductus est, ut uterque Domino illuderet.

Et cerne sollicitudinem sacerdotum in malum. Tota nocte vigilaverunt, ut homicidium facerent. *Et vincum tradiderunt Pilato.* Habebant enim hunc morem, ut quem adiudicassent morti, ligatum iudici traderent.

2625 *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem iustum.* Avaritiae magnitudinem impietatis pondus excludit. Videns Iudas Dominum adiudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum mutare sententiam. Itaque licet mutaverit voluntatem suam, tamen voluntatis primae exitum non mutavit. Si autem peccavit ille qui tradidit sanguinem iustum, quanto magis Iudaei peccaverunt, qui emerunt sanguinem iustum, et offerendo pretium, ad prodicionem discipulum provocarunt?

Qui diversas naturas conantur introducere, et dicunt Iudam proditorem malae fuisse naturae, nec electione apostolorum potuisse servari, respondeant quomodo natura mala egerit poenitentiam.

2626 *At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiecitis argenteis in templo, recessit: et abiens, laqueo se suspendit.* Nihil profuit egressu poenitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando sic frater peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti. Sin autem permanent opera, frustra voce assumitur poenitentia. Hoc est quod in psalmo de eodem infelicissimo Iuda dicitur: *Et oratio eius fiat in peccatum* (PSAL. cviii, 7); ut non solum emendare nequiverit prodicionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprii homicidii crimen addiderit. Tale quid et Apostolus in secunda ad Corinthios Epistola loquitur: *Ne abundantior tristitiae absorbeat frater* (II COR. ii, 7).

2627 *Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.* Vere culicem liquantes, et camelum glutientes. Si enim ideo non mittunt pecuniam in corbonam, hoc est in gazophylacium et dona Dei, quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguis effunditur?

2628 *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum: propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Illi quidem fecerunt alia voluntate, ut aeternum impietatis suae relinquere ex agri emptione momentum. Ceterum nos, qui peregrini eramus a lege et prophetis, prava eorum studia suscepimus in salutem: et in pretio sanguinis eius requiescimus. Figuli autem ager appellatur, quia figulus noster est Christus.

2629 *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium apprehati, quod apprehaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Hoc testimonium in Ieremia non invenitur. In Zacharia vero, qui pene ultimus est duodecim prophetarum, quaedam similitudo fertur (ZACH. xi, 12); et quamquam sensus multum discrepet, tamen et ordo et verba diversa sunt. Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazaraenae sectae mihi Hebraeos obtulit, Ieremiae apocryphum, in quo haec ad verbum scripta reperi. Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium: evangelistarum et apostolorum more vulgato, qui verborum ordine praetermisso, sensus tantum Veteri Testamento proferunt in exemplum.

2630 *Iesus autem stetit ante praesidem, et interrogavit eum praeses, dicens: Tu es*

*rex Iudaeorum?* Pilato nihil aliud interrogante criminis, nisi utrum rex Iudaeorum sit, arguunt impietatis Iudaei, quod ne falso quidem invenire poterint quod obiectent Salvatori. *Dixit illi Iesus: Tu dicis.* Sic respondit ut verum diceret, et sermo eius calumniae non pateret. Et attende quod Pilato, qui invitus promebat sententiam, aliqua ex parte responderit: sacerdotibus autem et principibus respondere noluerit, indignos suo sermone iudicans.

2631 *Tunc dicit Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur praeses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat praeses populo dimittere unum vincium, quem voluissent.* Ethnicus quidem est, qui condemnat Iesum: sed causam refert in populum Iudaeorum. *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Iesus autem respondere noluit, ne crimen diluens a praeside dimitteretur, et crucis utilitas differretur.

2632 *Habebat autem tunc vincium insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* Iste in Evangelio quod scribitur iuxta Hebraeos, *filius magistrorum* interpretatur, qui propter seditionem et homicidium fuerat condemnatus. Offert autem optionem Pilatus dimittendi quem velit, latronem, an Iesum: non dubitans Iesum potius eligendum, sciens eum propter invidiam traditum. Igitur causa crucis manifeste invidia est.

2633 *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi et iusto illi: nulla enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Iesum vero*

perderent. Respondens autem praeses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. Nota quod gentibus saepe a Deo somnia revelentur; et quod in Pilato et uxore eius iustum Dominum confidentibus gentilium populi testimonium sit.

2634 Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis praeses: Quid enim mali fecit? Et illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Multas liberandi Salvatoris Pilatus occasiones dedit. Primum, latronem iusto conferens. Deinde inferens: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? hoc est, qui rex vester est. Cumque responderent, Crucifigatur, non statim acquievit: sed iuxta suggestionem uxoris, quae mandaverat: Nihil tibi et iusto illi, ipse quoque respondit: Quid enim mali fecit? Hoc dicens, Pilatus absolvit Iesum. At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Ut impleretur quod in vigesimo primo psalmo dixerat: Circumdederunt me canes multi: et congregatio malignantium ob-sedit me (PSAL. XXI, 12). Et illud Ieremiae: Facta est mihi haereditas mea sicut leo in silva: dederunt super me vocem suam (IEREM. XII, 8). Isaia quoque in hac sententia congruente: Expectavi ut facerent iudicium, fecerunt autem iniquitatem, et non iustitiam, sed clamorem (Is. v, 7).

2635 Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis. Pilatus accepit aquam iuxta illud propheticum: Lavabo inter innocentes manus meas (PSAL. XXV, 6): ut in lavacro manuum eius gentilium opera purgarentur, et ab impietate Iudaeorum, qui clamaverunt, Crucifige eum, nos alienos faceret, quodammodo hoc contestans,

et dicens: Ego quidem innocentem volui liberare; sed quoniam seditio oritur, et perduellionis mihi contra Caesarem crimen impingitur: Innocens ego sum a sanguine iusti huius. Iudex qui cogitur contra Christum sententiam ferre, non damnat oblatum; sed arguit offerentes, iustum esse pronuntians qui crucifigendus est. Vos, inquit, videritis. Ego minister [iniquus tamen] sum legum: vestra vox sanguinem fundit.

Et respondens universus populus, dixit: Sanguis eius super nos et super filios nostros. Perseverat usque in praesentem diem haec imprecatio super Iudaeos, et sanguis Domini non auferetur ab eis. Unde per Isaiaem loquitur: Si lavaveritis ad me manus, non exaudiam vos. Manus enim vestrae plenae sunt sanguine (Is. I, 15). Optimam haereditatem Iudaei filiis relinquunt dicentes: Sanguis eius super nos, et super filios nostros.

Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Barabbas latro, qui seditiones faciebat in turbis, qui homicidiorum auctor erat, dimissus est populo Iudaeorum, id est, diabolo, qui usque hodie regnat in eis, et ideo pacem habere non possunt. Iesus autem a Iudaeis traditus, absolvitur ab uxore Pilati, et ab ipso praeside iustus appellatur. Et centurio confitetur quod vere Dei Filius sit. Quaerat eruditus lector, quomodo sibi conveniat Pilatum lavasse manus suas, et dixisse: Innocens ego sum a sanguine iusti huius, et postea flagellatum tradidisse Iesum ut crucifigeretur? Sed sciendum est Romanis eum legibus ministrasse, quibus sancitum est, ut qui crucifigatur, prius flagellis verberetur. Traditus est itaque Iesus militibus verberandus, et illud sacratissimum corpus, percutusque Dei capax, flagella securunt. Hoc autem factum est, ut quia scriptum

erat: Multa flagella peccatorum (PSAL. XXII, 10), illo flagellato, nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura ad virum iustum: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (PSAL. XC, 10).

2638 Tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, et arundinem in dextera eius: et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Iudaeorum. Milites quidem quia rex Iudaeorum fuerat appellatus, et hoc ei Scribae et sacerdotes crimen obiecerant, quod sibi in populo Israel usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus, induant chlamydem coccineam pro rufo limbo quo reges veteres utebantur: et pro diademate ponant ei coronam spineam; pro sceptro regali dent calamum, et adorent quasi regem. Nos autem haec omnia intelligamus mystice. Quomodo enim Caiphas dixit: Oportet unum hominem mori pro omnibus (IOANN. XI, 50), nesciens quid diceret: sic et isti quaecumque fecerunt, licet alia mente fecerunt, tamen nobis, qui credimus, sacramenta tribuerunt. In chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat: in corona spinea, maledictum solvit antiquum: in calamo, venenata occidit animalia. Sive calamum tenebat in manu, ut sacrilegium scriberet Iudaeorum.

2639 Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius. Eo tempore completum est: Non averti faciem meam a confusione sputorum (Is. I, 6), et tamen eum caput eius percutiant arundine, sustinet cuncta patienter, ut Isaia verum ostendat vaticinium, dicens: Arundinem quassatam non confringet (Is. XLII, 3).

2640 Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum

chlamyde, induerunt eum vestimentis eius, et dixerunt eum, ut crucifigerent. Quando flagellatur Iesus, et conspuitur, et irridetur, non habet propria vestimenta, sed ea quae propter nostra peccata sumpserat. Cum autem crucifigitur, et illusionis atque irrisionis pompa praeterierit, tunc pristinas vestes recipit, et proprium assumit ornatum: statimque elementa turbantur, et testimonium Creatori dat creatura.

2641 Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem eius. Ne quis putet huic loco Ioannis evangelistae historiam esse contrariam. Ille enim dixit, exeuntem Dominum de praetorio portasse crucem suam (IOANN. XIX, 17); Matthaeus autem refert quod invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem, quem angariantes imposuerunt ei crucem Iesu. Sed hoc intelligendum est quod egrediens de praetorio Iesus, ipse portaverit crucem suam: postea obvium habuerint Simonem, cui portandam crucem imposuerint. Iuxta anagogen vero, crucem Iesu suscipiunt nationes, et peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris.

2642 Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus. Audivi quemdam exposuisse Calvariae locum, in quo sepultus est Adam, et ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, et hoc esse quod Apostolus dicat: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (EPU. v, 14). Favorabilis interpretatio et mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra urbem enim et foras portam, loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, et Calvariae, id est, decollatorum sumpserunt nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii; et quomodo pro nobis



maledictum crucis factus est, et flagellatus est, et crucifixus: sic pro omnium salute quasi noxius crucifigeretur. Sin autem quispiam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, ut sanguis ipsius super Adae tumulum distillaret, interrogemus eum, quare et alii latrones in eodem loco crucifixi sint? Ex quo apparet Calvarium non sepulcrum primi hominis, sed locum significare decollatorum, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia (Rom. v, 20). Adam vero sepultum iuxta Hebron et Arbee, in Iesu filii Nave volumine legimus (IOSUE XIV, 15).

<sup>2643</sup> *Et dederunt ei acetum bibere cum felle mistum, et cum gustasset, noluit bibere. Deus loquitur ad Ierusalem: Ego te plantavi vineam veram, quomodo facta es in amaritudinem vitis alienae? (IEREM. II, 21). Amara vitis amarum vinum facit, quod propinat Domino Iesu, ut impleatur quod scriptum est: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (PSAL. LXVIII, 22). Quod autem dicitur: Et cum gustasset, noluit bibere, hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit.*

<sup>2644</sup> *Postquam autem crucifixerunt eum dividerunt vestimenta eius, sortem mittentes ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dividerunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Et hoc in eodem Psalmo fuerat prophetatum: Dividerunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (PSAL. XXI, 19).*

<sup>2645</sup> *Et sedentes servabant eum. Diligentia militum et sacerdotum nobis proficit, ut maior et apertior resurgentis virtus appareat.*

<sup>2646</sup> *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scripam: Hic est Iesus, rex Iudaeorum. Non possum digne admirari pro rei magnitudine, quod redemptis pretio falsis*

testibus, et ad seditionem clamoremque infelici populo concitato, nullam aliam invenerint causam interfectionis eius, nisi quod rex Iudaeorum esset. Et illi forsitan illudentes ridentesque hoc fecerint. Ceterum Pilatus etiam nolentibus respondit: *Quod scripsi, scripsi. Velitis, nolitis, Iudaei, omnis vobis gentium turba respondet: Iesus rex Iudaeorum est, hoc est, imperator credentium et confitentium.*

<sup>2647</sup> *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris. Si Golgotha tumulus est Adam, et non damnatorum locus, et ideo Dominus ibi crucifigitur, ut suscitaret Adam, duo latrones quare in loco isto eodem crucifiguntur?*

<sup>2648</sup> *Praeter euntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas, salva te ipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum scribis et senioribus, dicebant. Blasphemabant, quia praetergredebantur viam, et in vero itinere Scripturarum ambulare volebant. Movebant capita sua, quia iam antea moverant pedes, et non stabant super petram. Idipsum autem insultans, dicit fatuus populus, quod falsi testes confinxerant.*

<sup>2649</sup> *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Etiam nolentes, confitentur Scribae et Pharisei, quod alios salvos fecerit. Itaque vos vestra condemnata sententia. Qui enim alios salvos fecit, utique si vellet, seipsum salvare poterat.*

<sup>2650</sup> *Si rex Israel est, descendat de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo; liberet eum nunc si vult. Dixit enim, quia Filius Deusum. Fraudulenta promissio. Quid est plus de cruce adhuc descendere viventem, an de sepulcro mortuum resurgere? Resurrexit, et non credidistis. Ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non cre-*

deretis. Sed mihi hoc videntur daemones immittere. Statim enim ut crucifixus est Dominus, senserunt virtutem crucis, et intellexerunt fractas esse vires suas, et hoc agunt, ut de cruce descendat; sed Dominus sciens adversariorum insidias, permanet in patibulo, ut diabolum destruat.

<sup>2651</sup> *Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei. Hic per tropum, qui appellatur ὀνόματι, pro uno latrone uterque inducitur blasphemasse. Lucas vero asserit, quod altero blasphemante, alter confessus sit, et e contrario increpaverit blasphemantem (Luc. XXIII, 39, 40). Non quod discrepent Evangelia; sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in Iesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit. In duobus latronibus uterque populus, et gentilium, et Iudaeorum primum Dominum blasphemavit. Postea signorum magnitudine alter exterritus egit poenitentiam, et usque hodie Iudaeos increpat blasphemantes.*

<sup>2652</sup> *A sexta autem hora, tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. Qui scripserunt contra Evangelia, suspicantur deliquium solis, quod certis statutisque temporibus accidere solet, discipulos Christi ob imperitiam super resurrectione Domini interpretatos; cum defectus solis numquam, nisi ortu lunae, fieri soleat. Nulli autem dubium est paschac tempore lunam fuisse plenissimam. Et ne forsitan videretur umbra terrae, vel orbis lunae soli oppositus breves, et ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis causantium occasio tolleretur. Et hoc factum reor ut completeretur prophetia, dicens: Occumbet sol meridie, et contenebrabitur super terram in die lux (AMOS*

viii, 9); et in alio loco: *Occubuit sol cum adhuc media esset dies (IEREM. XV, 9). Videtur quemih clarissimum lumen mundi, hoc est, luminare maius retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.*

<sup>2653</sup> *Et circa horam nonam, clamavit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabachthani. Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Principio vicesimi primi psalmi abusus est, illudque quod in medio versiculo legitur: *Respice in me, superfluum est. Legitur enim in Hebraeo: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Ergo impii sunt qui psalmum istum ex persona David, sive Esther et Mardochoae dictum putant, cum etiam evangelistae testimonia ex eo sumpta super Salvatore intelligant: ut est illud: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (PSAL. XXI, 19). Et aliud: *Foderunt manus meas et pedes meos (Ibid. xvii). Ne mireris verborum humilitatem et querimonias derelicti, cum formam servi sciens, scandalum crucis videas.****

<sup>2654</sup> *Quidam autem illic stantes et audientes dicebant: Eliam vocat iste. Non omnes, sed quidam quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem, sed ex eo quod dixit: *Eli, Eli, putantes Eliam ab eo invocatum. Sin autem Iudaeos qui hoc dixerint, intelligere voluerimus, et hoc more sibi solito faciunt, ut Dominum imbecillitatis infamant, qui Eliae auxilium deprecatur.**

<sup>2655</sup> *Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto: et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Et haec facta sunt ut completeretur prophetia: *In siti mea potaverunt me aceto (PSAL. LXVIII, 22). Usque hodie Iudaei et omnes increduli Dominicae resurrectionis aceto et**

felle potant Iesum, et dant ei vinum myrrhatum ut eum conspiciant, et mala eorum non videat.

2656 *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Divinae potestatis indicium est emittere spiritum, ut ipse quoque dixerat: *Nemo potest tollere animam meam a me; sed ego pono eam a me ipso, et rursum accipiam eam* (IOANN. x, 18).

2657 *Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum.* Velum templi scissum est, et omnia legis sacramenta quae prius tegebantur, prodita sunt, atque ad gentium populum transierunt. In Evangelio cuius saepe facimus mentionem, superliminare templi infinitae magnitudinis fractum esse atque divisum legimus. Iosephus quoque refert virtutes angelicas, praesides quondam templi, tunc pariter conclamasse: *Transeamus ex his sedibus.*

2658 *Et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt.* Nulli dubium est quin significet iuxta litteram magnitudo signorum, ut crucifixum Dominum suum et coelum et terra et omnia demonstrarent. Sed mihi videtur terraemotus et reliqua typum ferre credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis, et cordis emollita durtia, qui prius similes erant tumulis mortuorum, postea agnoverint Creatorem.

2659 *Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exiunt de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Quomodo Lazarus mortuus resurrexit (IOANN. xi, 44), sic et multa corpora sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem. Et tamen cum monumenta aperta sint, non antea resurrexerunt, quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis (COLOSS. i, 18). Sanctam autem

civitatem in qua visi sunt resurgentes, aut Ierosolymam coelestem intelligamus, aut hanc terrenam, quae ante sancta fuerat. Sicut et Matthaeus appellatur publicanus (MATTH. x, 3), non quod et Apostolus adhuc permaneat publicanus, sed quod pristinum vocabulum teneat. Sancta appellabatur civitas Ierosalem propter templum et sancta sanctorum (Is. lxi, 1), et ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. Quando vero dicitur, *apparuerunt multis*, ostenditur non generalis fuisse resurrectio, quae omnibus appareret, sed specialis ad plurimos, ut hi viderent qui cernere merebantur.

2660 *Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terraemotu et his quae fiebant, timuerunt valde, dicens: Vere Filius Dei erat iste.* In alio Evangelio post terraemotum manifestior causa miraculi centurionis exponitur: quod cum vidisset eum spiritum dimisisse, dixerit: *Vere Filius Dei erat iste.* Nullus enim habet potestatem dimittendi spiritum nisi ille qui animarum conditor est. Spiritum autem in hoc loco pro anima intelligamus, seu quod spirituale et vitale corpus faciat, seu quod animae ipsius substantia spiritus sit, iuxta illud quod scriptum est: *Auferes spiritum eorum, et deficient* (PSAL. ciii, 29). Et hoc considerandum, quod centurio ante crucem in ipso scandalo passionis vere Dei Filium confiteatur: et Arius in Ecclesia praedicit creaturam.

2661 *Erant autem ibi mulieres multae a longe quae secutae fuerant Iesum a Galilaea, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedaei.* Consuetudinis Iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent. Hoc quia

scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abiicisse se memorat. Dicit enim ipse: *Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut et ceteri Apostoli faciunt?* (I COR. ix, 5). Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret earum carnalia, cuius illae metebant spiritualia (Ibid. ii). Non quod indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit: Mariam Magdalenam, a qua septem daemonia ceciderat, et Mariam Iacobi, et Ioseph matrem, materteram suam, sororem Mariae, matris Domini, et matrem filiorum Zebedaei, quae paulo ante regnum liberis postulerat, et alias quas in ceteris Evangeliiis legimus (LUC. viii).

2662 *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Dives refertur non de iactantia scriptoris, quo virum nobilem atque ditissimum referat Iesu fuisse discipulum; sed ut ostendat causam quare a Pilato corpus Iesu potuerit impetrare. Pauperis enim et ignoti non erat ad Pilatum praesidem Romanae potestatis accedere, et crucifixi corpus impetrare. In alio Evangelista (LUC. xxiii, 50) Ioseph iste βολδοτης; appellatus, id est, consiliarius, et de ipso quidam putant primum psalmum esse compositum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et reliqua.**

2663 *Et accepto corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda.* Ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem possunt carere divitiis. Possumus autem iuxta intelligentiam spiritualem et hoc sentire, quod corpus Domini non auro, gemmis

et serico, sed linteamine puro obvolvendum sit, quamquam et hoc significet, quod ille in sindone munda involvit Iesum, qui pura mente eum susceperit.

2664 *Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.* In novo ponitur monumento, ne post resurrectionem, ceteris corporibus, remanentibus resurrexisse alius fingeretur. Potest autem et novum sepulcrum Mariae virginali uterum demonstrare: saxumque ostio appositum, et saxum magnum ostendere absque auxilio plurimorum sepulcrum non potuisse reserari.

2665 *Erant autem ibi Maria Magdalene et altera Maria, sedentes contra sepulcrum. Altera autem die quae est post parasceven, convenierunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum, dicens: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Ceteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseverant, exspectantes quod promiserat Iesus, et ideo meruerunt primae videre resurgentem, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (MATTH. x, 22; xxiv, 13).

2666 *Iube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis, et erit novissimus error peior priore. At illis Pilatus: Habetis custodiam. Ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeunt, munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodiibus.* Non suffecerat principibus sacerdotum, et Scribis ac Pharisaeis, crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulcrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidem, quantum in illis est, manum opponerent resurgenti, ut diligentia eorum nostrae fidei proficeret; quanto enim amplius reservatur, tanto magis resurrectionis virtus ostenditur. Unde et in monumento

novo, quod excisum fuerat in petra, conditus esset: ne si ex multis lapidibus edificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. Quod autem in sepulchro ponendus esset, prophetæ testimonium est, dicentis: *Hic habitabit in excisa spelunca petrae fortissimæ* (Is. xxxiii, 16). Statimque post duos versículos sequitur: *Regem cum gloria videbitis* (Ibid. 17).

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. III, SERM. 41, 42.)

2667 **A**NTE sex dies Paschæ, etc. Quia tota ista hebdomada Passio Christi nobis reductur ad memoriam, et prædicatio debet conformari cum officio quod celebratur, idcirco non ulterius vobis bella proponam, nec mandata, et læta exempla adducam. Tempus enim est fletus, et non risus, quia passio illius recollitur, quem tota mundi machina flevit. De hac tamén passione hoc ordine prædicabo: primo dicam de ea, quoad temporis congruitatem; secundo quoad eius figuræ veritatem; tertio quoad eius auctorum malignitatem; quarto quoad patientis bonitatem; quinto quoad eius acerbiteriam; sexto quoad eius utilitatem. De istis sex omni die dicam unum.

2668 Hodie ergo nobis dicendum est de passione, quoad eius temporis congruitatem, ubi sex sunt declaranda, et consideranda; primo cur voluit pati in tali ætate mundi; secundo cur in tali ætate viri; tertio cur in tali mense anni; quarto cur in tali hora diei; quinto cur in talibus signis coeli; sexto cur sub talibus dominis mundi. Attendite.

2669 Dico, quod dicendum est cur Christus voluit pati in tali ætate mundi; ubi sciendum est quod sex sunt mundi ætates. Prima ab Adam usque ad Noe; secunda a Noe usque ad Abraham; tertia ab Abraham usque ad Moysen; quarta a Moysè usque ad David; quinta a David usque ad transmigrationem Babylonis; sexta usque ad Christum. In qualibet singulari vitium regnavit; nam in prima regnavit luxuria quod peccatum Deus punivit per diluvium; in secunda regnavit superbia, quod Deus punivit per divisionem linguarum (Gen. 11); in tertia regnavit invidia, ut in Esau contra Jacob, et fratris contra Joseph, quam Deus punivit per exilium, quia omnes illi in Aegypto quæ erat aliena regio, peregrini fuerunt, et ibi mortui; in quarta regnavit gula, quia *sedit populus manducare, et bibere, et sursum erant iudicare*, ut patet, Exod. xxxiii, quam Deus punivit per gladium, quia occisi sunt viginti quatuor millia hominum (Exod. xxxiv); in quinta regnavit cupiditas,

et avaritia, ut patuit II Reg. xxiv quando David fecit numerare populum, quem Deus punivit per pestilentiam et mortem, et dicitur ibidem, non mortui sunt septuaginta milia virorum; in sexta regnavit ira, ut patet Ierem. xxxiv in rege Sedechia, *qui fecit malum in conspectu Domini*, et verba Ieremie prophetæ noluit audire, immo libros, quos scripserat Ieremias, ipse ira repletus combussit, et Ieremiam captivavit; sed hoc peccatum Deus punivit per carcerem, et transmigrationem, ut patet Ierem. xxxix, et xxv.

2670 Quia ergo in qualibet ætate regnavit singulare vitium et peccatum, congruum fuit ut in fine omnium veniret Christus, et sua morte hæc et alia tollerent; nam tulit peccatum luxuriæ, quia de Virgine natus, virgo est mortuus; peccatum avaritiæ, quia *humiliavit semetipsum usque ad mortem*; peccatum invidiæ, quia pro suis servis morti voluit; peccatum gula, quia in escam fel habuit, et in polium acetum; peccatum avaritiæ, quia totum sanguinem sudit; et tulit peccatum iræ, quia *tanquam agnus mansuetus ductus est ad occisionem, et vitulum; coram se sedit et non aperuit os suum* (Is. l.ii).

2671 Videndum est cur pati voluit in tali ætate viri; ubi scire debetis, quod sex sunt ætates hominis. Prima est infantia, usque ad septennium, et dicitur infantia, quia infans non potest fieri, et loqui; secunda est pueritia usque ad decimum quartum annum, et dicitur pueritia a puritate, quia parvus est puer; tertia est adolescentia quæ secundum aliquos vadit usque ad vigesimum octavum annum, et dicitur adolescens, id est ad gignendum, et augendum; quarta est iuventus firmissima omnium, et vadit usque ad quinquagesimum annum, et dicitur iuventus, quia invare potest; quinta est senectus, et hæc est a quinquagesimo, usque ad septagesimum annum, et dicitur senex, a sensuum diminutione, quia iam incipiunt sensus minui corporis, et animæ; sexta est decrepitas quæ nullo termino finitur. Istæ sunt ætates hominis; Christus autem in meliori ætate mori voluit, scilicet iuventute, quia hæc ætas, ut sensu patet, minus habet de defectibus corporalibus, quam aliqua alia; et decuit Christum in ætate perfecta, et non defectuosa mori; unde Cant. 1: *Ecco in pulchre est dilectio mi*; et decorus. Alia ratio est quia, ut dicitur, primus homo Adam tali ætate fuit factus, et creatus a Deo, et in tali ætate ipse peccavit; et ideo Christus in tali ætate mori voluit et debuit.

2672 Videndum est, cur in tali tempore anni, quod est initium totius anni, et mensis Martii, et dies Veneris. Et quia ipse Christus fuit primus, qui mori pro salute generis humani voluit, ipse est primus

sanctorum, et omnium salutem, et sanctitatem fuit initians. Alia ratio, quia Adam tali die istius mensis peccavit; et ideo Christus secundus Adam tali mense, et tali die pro peccato eius mori voluit, et debuit. Potest et alia ratio assignari, et est talis; in isto enim mense crescunt humores, et ebullit sanguis in corpore et ideo ad lasciviam magis pronus est homo; et propter hoc congruum fuit tali mense pati, quando plus ad peccandum proni sunt homines, quia ipse perpetrata peccata delere, et alia perpetranda prohibere debebat; quod melius quam sua passione fieri non potuit. Potest et alia ratio assignari; quum in tali tempore sanguis ebulliat, ut totum versaret, et effunderet pro nobis sanguinem, et nihil in eo remaneret, quia ipso ebulliente de facili emittitur. Sed cur in die festo? Rationem duplicem assignat S. Augustinus. Primo, ut manifesto impleverit effecta, quæ diu facta fuerant figurata occulto mysterio; omnia miracula fere in die festo facta sunt. Secunda, ut immolato vero agno, cessaret immolatio sacrificiorum legalium, et veniente sacerdotio Christi, cessaret sacerdotium Leviticum; iuxta illud: *Quum venerit sanctus sanctorum cessabit devotio vestra*.

2673 Videndum est cur tali hora diei; in sexta enim hora diei crucifixus est, quamvis inter Evangelistas videatur diversitas, quia Marcus dicit quod hora tertia, Matth. autem quod hora sexta; quam contrarietatem solvit Augustinus libro tertio de consensu Evangelistarum, dicens, quod Christus crucifixus est hora tertia lingua Iudæorum, quando clamabant: *Crucifige eum*; sed hora sexta manibus militum; et dicit, magis videndum est neccationem Christi fuisse linguam Iudæorum, quam militum manus. Sed cur tali hora? ut evidentior esset mors sua; et etiam dicit quod tali hora peccavit Adam, et ideo Christus, qui pro illo peccato satisfecit, ut hora poenæ responderet horæ culpæ, tali hora diei mori debuit.

2674 Cur sub talibus signis coeli? Dicendum est, quod tempore passionis Christi sol obscuratus est, et non naturaliter sed miraculose; sed quomodo fuit, diversimode narratur a sanctis doctoribus. Hieronymus dicit quod fuit hoc, quia divina virtute radii solis retractati ad terram pervenire non poterunt. Origenes dicit quod hoc fuit propter nubes spissas, et densissimas quæ obtenebratam tunc operuerunt totam terram Iudæorum, sicut tempore Moysis obtenebrata est terra Aegypti; sed Dionysius in Epistola ad Policarpum dicit, se tempore Passionis Christi fuisse in Aegypto, et diligenter notasse miracula. Primo quia naturaliter eclipso solis fit per interpositionem lunæ; luna enim inferior planeta, quum coniungitur soli, interponit se inter nos et solem; sed tempore illo hoc non potuit esse.

quia luna quartadecima non est soli coniuncta, sed diametraliter opposita. Secundo quia hora sexta luna non est coniuncta cum sole, ex qua conjunctione causatur eclipso; et quia illa hora iam pertranserat, et luna visa est in Oriente, et sol versus Occidentem, sicut hora vesperitina stare solet, ideo sine miraculo non fuit. Tertio quia talis obscuritas duravit tribus horis, et naturalis eclipso in momento transit; ideo per hæc fuit facta miraculose. Sed cur sub tali figura coeli mori debuit? Ratio est quia ipse Deus erat, et creator omnium; ideo creatura in eius morte debuit ostendere tristitiam ad confusionem etiam Iudæorum, qui eum negaverunt esse Filium Dei, et Regem terræ, et coelorum.

2675 Et ultimo videndum est, cur voluit sub talibus dominis mundi mori; ubi sciendum est quod Christus, secundum Isidorum lib. 5 Etymolog., tempore Tyberii Imperatoris mortuus est, et in vigesimo anno Imperii eius; Pilatus autem sub quo damnatus fuit, erat in Ierusalem pro ipso Imperatore Romanorum, quia tunc Romani Monarchiam tenebant in universo mundo; itaque tempore mortis Christi in regno Iudæorum erant multi domini, sed in regno Romanarum unus Imperator. Sed, licet sub Principe Romanarum fuerit crucifixus; fuerunt tamen Principes Sacerdotum, scilicet, Anna, et Caiphas, qui eum morti tradiderunt; hæc autem ita concurrerunt ad significandum quod Christus Imperator unus, et princeps unus erat in terra, et in coelo: *Data est nihil omnis potestas in coelo, et in terra* (MATTH. ult.). In signum etiam quod finis regni advenerat per crudelitatem, ex quo in multis erat divisum, iuxta illud, Luc. xvi: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Et per Reges, et Sacerdotes pati voluit, quia et ipse Rex, et Sacerdos fuit. Patent igitur illa sex, quæ proposuimus.

2676 Hæc omnia possunt intelligi in prima parte Evangelii Iodierini, quum dicitur: *Aut sex dies Paschæ*, ut per istos sex dies intelligatur illa sex, quæ diximus; deinde historialiter dicitur Evangelium, et sufficit; rogando illum, ut ipse nobis concedat gratiam. Amen.

2677 *Erant Paschæ, et aevina postbiduum* (MATTH. xxviii). Hæc diximus de Christi passione quoad eius temporis congruitatem; hodie dicamus de ipsa passione, quoad figuræ veritatem, quomodo, scilicet, in Veteri Testamento fuit oraculum Prophetarum præannunciata, et gestis Patriarcharum figurata. Unde scire debetis quod sex sunt consideranda in Passione Dominica. Primo de eius vii venditione; secundo de eius turpi irratione; tertio de discipulorum derelictione; quarto de crucis formatione; quinto de poenarum impositione; sexto de signorum apparitione. Attendite.